



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Epistola IV. Ad Abbatem de Landesio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

gij confirmata: Ius nostrum alteri dare, beneficia infringere, nec possumus nec debemus. Excedit quicumque illi reuerentiam non impendit; nos in protectione illius, res nostras, locum nostrum, seruitus nostros, & omnia nostra deponimus, & ad ipsam appellamus, in Annuntiatione B. Mariæ respondere parati, si quis agere contra nos voluerit; vel agere instructi, si quis nos deinceps pro causa molestare voluerit. Quid de hinc acturi sitis, nescio, vnum scio, plus suo tempore seruiuit & profuit Carnotensi ecclesie Fr. Philippus, quam Ponleueniensis Abbas & Monachi sui, pro quorum nos delationibus taliter fatigatis. Mitte iam gladium, si placet, in vaginam, & agite comiter, nos ad tribunal Apostolicum stamus, & iustitiam stabimus, & ibi nos oportet iudicari, nisi Patrem & Aduocatum adduxerit nobis Deus Omnipotens, quem reuerti velociter cum salute & prospere conseruari, votis omnibus exoptamus. Valere.

EPISTOLA IV.

Ad Abbatem de Landefio.

Landefiense monasterium (vi supra retulimus) filia est Canobii de Eleemosyna, quod Philippus noster visitans, in absentia Abbatis, scribit ei, se quadam reperiisse corrigenda, & quam illa sint, iudicat.

Dilecto dilectori, Fratri Hugoni, & Co-Abbati de Landefio. Frater Philippus de Eleemosyna, salutem & dilectionem in Domino. Vtinam, inuenissemus vos domi, tempore visitationis. Inuenimus ibi quadam Ordini contraria, quæ consilio vestro correctæ, facile quiescissent. Nunc autem loco absens corpore, tamen præsens spiritu, vobis in Ordinis virtute denuntio, vt ea sicut in capitulo disposui, corrigatis.

Priorem ab exteriorum curâ, & à frequenti equitatione, vel Prioratus ordine amouete: †

Claustri Custos & Ordinis, non debet exterioribus insudare. Subcellerarius vester monasterio, Fratribus onerosus, & manifestè superbus est, nimis frequenter equitat, & extra claustrum est, & extra officij sui metas curiosè nimis & inutiliter euagatur. Monemus, consulimus, & mandamus, vt eum remoueat ab obedientia illâ, & arctiori studio curam illius habeatis. Sunt alia quæ præsentis sermone magis quam scripto, vobis explicanda sunt. Vigilate in omnibus, & agite cautè, ne sub manu vestra virtus Ordinis emarefcat. Amor & virtus Ordinis hæc loquantur, nihil amaritudo suggerit, aut simulas. Sed, si nos & Ordinem diligitis, expedit, vt quod piè denuntiamus, efficaciter impleatis. Fratres nostros plurimum charitati vestræ commendamus, Fratres vestros ore nostro, & spiritu nostro plurimum salutamus, nostros nominatim. Vale.

EPISTOLA V.

Ad Episcopum Trecorensis.

Abbatem Beguensis Canobij, in Britannia minore, tanquam inutilem, à dignitate Abbatiæ absolutum, & Cœnobium commendat Episcopo Trecorensium.

Ruerendo in Christo Patri & Domino Will. Dei gratiâ Trecorensium Episcopo, Frater Philippus de Eleemosyna, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quod à curâ & administratione † Beguensis monasterij Fr. Chinerus se suspendit, dignum esse iustumque centemus. Et vtinam nunquam ad illud regimen accendisset, per quem facta sunt domus illius peiora prioribus.

Nos autem secundum quod mandastis, ad consolationem & cõsiliu domus illius accingimur, & prædictum Fratrem corde bono, & animo

Vv 3.

& animo.

† Nota. † Beguensis Canobium, filia est Eleemosyna.